



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

§. 52. Vani Conatus Galliarum Regis in Ticino flumine ab urbe deflectendo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

franci medio ferme ab urbe lapide dis-

fita substitit.

Sæcul. XVI.

A. C. 1524.

§. LII.

*Vani conatus Galliarum Regis in
Ticino flumine ab urbe de-
flectendo.*

Ergo irruptio tentatur pari utrinque
dimicantium pertinacia, ac dispen-
dio; donec quinque vel sex Galli ad
diruti muri summitatem ascendentes
vallum sibi retro instare cernerent, sclo-
petariis undique munitum; cujus aspe-
ctu territi eadem celeritate qua ascen-
debant, pedem retulerunt. Equidem
Fuxus Marscallus assultum redintegra-
re voluit, atque equites ex equis desili-
re iussit, verum fortissimi hujus, quo
prior impetus successu suo frustrabatur,
munimenti formidine fractus, ulterius
progreduendo totum exercitus robur
certæ cladi expositum iri censebat, qua-
propter ex disjecti muri ruderibus de-
scendens, Regem de periculo certio-
rem fecit, qui & ipse ab hac expeditione
cessandum existimabat, eo vel maxime,
quod Roberti & Hutini de Mailly, Clau-
dii Aurelianensis Longevillæ Ducis, plu-
riumque aliorum impendio stetit. In
hac rerum vicissitudine Rex Ticinum
fluvium ab urbe Papiensi in alium cur-
sum

H h 2

sum

Sæcul. XVI.
A.C. 1524

sum derivare statuit. Hic ad superiorem civitatis partem in duos dispartitur canales, quorum amplior urbis mœnia alluit, alter vero, isque angustior Gravelona dictus longius ab urbe progreditur. Cum vero Galli urbem hac ex parte munimentis nudam animadverterent, eo quod aliunde amnis adeo profundus esset, ut nullo unquam tempore vado transiri posset, hinc sibi, si flumen ea parte, qua sese dividit, solito suo alveo dimoveretur, totumque in canalem Gravelonam abduceretur, facile persuadebant fore, ut urbs nullo ferme negotio superari posset, eo quod hac ex parte mœnia nullatenus congesta arena essent munita. Hujus ergo operis cura demandata erat Jacobo Sillyo Cadomi Prætori, qui tamen immensos pecuniarum sumptus, ac trium hebdomadarum tempus frustraneo labore impendit, eo quod hyemis rigor operas vix cœptas destrueret, amnisque nivibus ac pluviis intumescens pristinum alveum non relinqueret, elusis triginta omnino millium fossorum conatibus.

§. LIII.

Validæ suppetiæ a Borbonio adductæ.

Ferron. hist. Franc. Cum Cæsareis Belliducibus nuntiatum esset, Regem Papiæ obsidionem